

**1994-07-15 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Praeclara Profecto’****IOANNES PAULUS PP. II**

**PISTULA DATA  
PAULO S.R.E. CARDINALI POUPARD,  
ELECTO MISSO EXTRAORDINARIO  
OCTAVAE SOLLEMNIS COMMEMORATIONIS  
A CARNUTENSI RESTITUTO  
CATHEDRALI TEMPLO**

*Venerabili fratri nostro  
Paulo S.R.E. Cardinali Poupart*

Praeclara profecto monumenta et innumera quidem ubique terrarum extare servarique omnes sat sciunt, quae christiana dempta religione fideliumque pietate minime intellegantur. Id vero genus inter praestantes testificationes sacra recensetur Carnutensis aedes, quae una inter huiusmodi Mediae Aetatis artificia eminent singulariterque praefulget.

Cupimus Nos hae fidelis animi testificationes nostra aetate ut in bono lumine locentur et congruenti aestimatione magnificantur, quo christiana mens, superiore fere repetens, ulteriora studiosius similiter persequatur. Idcirco libentes et volentes Venerabilis Fratris Iacobi Perrier, Episcopi Carnutensis, occurrere rogatui cupimus, qui insignem a Nobis Missum poposcit ut octavae a Carnutensi restituto Cathedrali templo interesset sollemni commemorationi.

Quocirca, ut celebratio haec accommodatius et convenientius peragatur, mittere virum eminentem statuimus, qui partes Nostras sustineat Nostramque pariter benignam mentem ostendat. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostram admovimus et animum, qui, ad eandem loquela cum pertineas et cultum cumque eruditione liberali antecellas, videris prorsus par acceptusque ad officium hoc tuendum et congruenter explendum. Quapropter te *Missum Extraordinarium* constituimus, ut, frequenti obveniente illo congressu et, mense Septembri die XI, celebratione, ipsam vocem Nostram signifies, unde penitus pervestigato illius sacri aedificii sensu et momento, non modo cuncti illam perlectam artem admirantur, verum et novum animum suscipiant ad operosam huiuscemodi industriam excolendam.

Palam demum benevolentiam Nostram declarabis, dum preces pariter fundimus ut Virgo Maria, cui templum hoc quondam pientissime est addictum, totius huius Nationis veluti sidus quoddam sit et Christi praeconii firmandi pariter concitet studium. Salutationem tandem fervidam omnibus porrigas et Benedictionem Nostram Apostolicam universis simul huius eventus participibus nomine Nostro Nostraque auctoritate largiaris velimus, quae sit divinarum gratiarum nuntia et renovationis aequum incitamentum.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XV mensis Iulii, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri sexto decimo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**